

qui a deo honoratur sceptro dignitatis,
 qui ab eo illustratur insigni trinitatis,
 qui in mundo dominatur^c omnibus creatis,
 qui a deo adamatur in liga caritatis,
 qui cum sanctis deputatur et angelis beatis,
 hic valens carus reputatur donis ex prefatis.

Vel aliter:

Qui a deo sublimatur ad regendum populum,
 qui ab eo venustatur sacrum per signaculum,
 qui creatis dominatur et habet adminiculum,
 qui cum sanctis deputatur ad celi habitaculum,
 qui a deo liberatur per cruoris rivulum,
 ille carus^d reputatur^e habens laudis tytulum,

ut sonant nostri thematis verba per auctoritates. De primo 3^o Rg. [11, 37]: *Te assumam, et regnabis super omnia, que desiderat (fol. 60^v) anima tua.* De 2^o Gn. [1, 26]: *Faciamus hominem ad ymaginem et similitudinem nostram.* Item ibi [2, 7]: *Formavit deus hominem* et cetera. De 3^o Gn. [1, 28]: *Dominamini piscibus maris* et cetera, et in Ps. [8, 8]: *Omnia subiecisti sub pedibus eius* et cetera. De 4^o Ma. [3, 1]: *Ecce ego mitto angelum meum . . . usque meam^f,* et in Ps. [90, 11]: *Angelis suis deus mandavit de te* et cetera. De V^o Ap. [1, 5]: *Dilexit nos . . . usque in sanguine suo.* Item 1 P. 1, 18: *Non corruptilibus auro vel argento . . . usque Iesu Christi.* Et sic patet maior propositio tota exarata, quam pro tanto in huius collacionis aut sermonis exordio, venerabiles patres, declarandam premisi, quoniam dominus noster gloriosus, inclitus princeps, imperator in vita sua semper augustus, cuius nunc funeri presenti mente lugubri inter anxietatis lamenta corde gemebundo pias agimus exequias ipsius animam regi regum nostro domino Iesu salvatori devotissime commendantes, fuit dum viveret^g

exaltatus regie sceptro dignitatis,
 illustratus signaculo sancte trinitatis,
 ductor gratus in omnibus creatis,
 cum sanctis deputatus et angelis beatis,
 expiatus cruore agni gratis.

c) *Dahinter* vel principatur *Ms.*

d) *Dahinter* valens *Ms.*

e) *Dahinter* vel estimatur *Ms.*

ee) II^d *Ms.*

f) tuam *Ms.*

g) *Vor den folgenden Reimzeilen steht ein für alle gültiges fuit Ms.*